

38 In Hipp. de Aëre, Aquis, & Locis.

finibus, vt sint ambæ prope exitum è corpore, quis dubitat ne non factæ sint à natura consilio mirabili. Scripserunt plurimi egregias vtilitates sanguinis ex hæmorrhoidibus fluentis, è naribus nullus ex proposito. At quum contrariorum par sit ratio, quis negare potest multa etiam sanguinaria inesse commoda, non tamen illa sine periculo, sunt exposita quidem à Principe, quinta tertij (cap. 7. & sunt tria præcipuè in febribus ardentibus, inde in abscessibus, & primùm cerebri, & propriè, inde iecoris, dic tu & præcordia, vt in Prognosticis te docui, inde membranarum lateralis septi transuersi diaphragmum & capsulæ cordis, demùm quod raro enenit, & minus tutum est pulmonum. In fanis tertio loco quum præcesserit grauitas capitis, calor & rubor magnus in facie, & post calor clarus, & alleuiatio capitis, & lætitia, & somnus, & claritas sensuum. Secus est multiplex periculum, effluxionem enim sanguinis, quam malus calor sequitur, nemo potest laudare: nam habitus corporis corruptio consequi solet. Ex parte autem sequitur faciliùs hydrops, quia plus effluit sanguinis, & quia melior, ex parte & generaliter non adèd ad id procliuus est, quia non significatur tanta corruptio in sanguine, velut in hæmorrhoidali. Et etiam corruptio illa est in sanguine facta, qui iam sparsus est per totum corpus hæmorrhoidalis, in eo qui sit, quæ est deterior, quum iecur ex ea nutrirì debeat, & in eo diu mansurus sit: propterea multò pauciores ascitici euadunt ex sanguine narium, quam hæmorrhoidum. Est autem periculosa talis effluxio, tum ob causas primùm quæ sunt valde potentes ad inflammationem: secundum, quia potest esse ex arteriis, vnde concitior, & etiam detrimentum maius affert, quum sanguis sit melior: tertio, quia periculum est, ne sit ex fractura alicuius vasis in reti venarum, aut arteriarum, & tum est insanabilis, dicit Princeps, & cur non, quum aliàs ex aëre dentis mortuos fuisse quosdam ob fluxum sanguinis, ex loco disrupta venula, aut arteria: quum liceat applicare auxilia, & adurere, quantò magis ibi vbi hæc non licet applicare. Ex quo apparet, quòd aliquando sanguis veniat, iuxta Principis sententiam, per nares, & non ex naribus, sed ex cerebro. Et ideo fluxus sanguinis narium est homonymum, vt solo nomine vno duæ res valde diuersæ declarentur: quarum vna certè quasi vacat omni periculo, præsertim quum liceat insufflare pulueres, & imponere auxilia. alteri nullo modo, nisi per communia occurrere liceat. Et hic morbus & symptoma est proprius soli homini: nullum enim animal quod ad hanc diem notum sit, est obnoxium tali symptomati, ergo ob id non adèd tutum est prouocare sanguinem narium, velut hæmorrhoidarum, quibus medicamentis Chirurgicis occurrere possumus, & ad quas non nisi malus sanguis delegari solet, vt ex Hippocratis sententia in sexto Epidemiorum (Par. 3. text. 37.) quum sanguis ibi sit melior, scilicet in naribus, & concitior, & minus tuta sit ratio postmodum ipsum sistendi. Et quamuis ita sit, fluxus tamen sanguinis hu-

iusmodi reddit homines securos à morbis, qui ex calido sanguine pendent, velut erysipelate, carbunculis non postulentibus, phagedena, vtrigine vrinæ, scabie, dysenteria mala, febribus ardentibus. Dicamus ergo quomodo oriatur, & vnde, & quum in tot aliis minus vtilibus fuerint adèd effusi & nugaces anatomici, hac in parte tanti momenti, & quæ toties occurrit, & quotidie, cuique occurrere potest, adèd sunt parci, vt inter Paralipomena aliorum hæc historia possit recenseri, & coactus sim iubere dissectari hominem huius causa. Dico ergo primùm, quod vt habetur à Vesalio, (lib. 3. cap. 14. pag. 5 in fin. & 7. lib. fig. 16. sub litera E,) tres arteriæ ex vnaquaque parte à iugularibus delatæ in caluariam ingrediuntur per os capitis perforatum, ex hac duo rami magni, duoque parui oriuntur, humilior paruorum foramen habet in osse sibi peculiariter exculptum, per quod tendit ad nares. At venarum vtrinque sex rami in caluariam penetrant: & ex exteriori iugulari antequam in caluaria ingrediatur rami in faciem sparguntur (lib. 1. cap. 12. fig. 13. lit. k,) & in vasi alas: adèd vt tertia illa propago, seu quarta, quæ quandoque vnica est iugularis, quandoq; in collo diuiditur, quandoque ab ipso collo bifariam (& fig. vlt.) per ipsum collum diuisa ascendit etiam bifariam (sed semper hoc) nasum ingrediatur, lib. 3. cap. 7. pag. 10. in fin.) & tunicam interiorem propriè vna permeet, atque sic sanguis ex venis narium magis ad inferiora membra pertinebit, ex arteria autem ad superiora & caput. Et ita dignoscitur ex colore. Et si sit paucus, & flauus, & oculi aspergantur eo, & maximè in icteribus reciditis, signum est rupturæ arteriæ, & mortis instantis.

Morbus etiam sacros appellatos.] Hoc est, secundum genus morborum viris euenientium, qui pro endemiis habentur, quod certè mirum est, & quomodo hunc ipsum inter morbos iuuentutis numerare velit, cum sit morbus frigidus & humidus, & iuuentus ipsa calida & sicca? Iam diximus quòd hi habent robusta capita etiam, igitur raro fiet in illis facer morbus, quia tamen comitialis etiam sit à repletione sanguinis, & præcipuè corrupti, cum agitur, aut nimis comprimitur, vt tertia Aphorismorum, & secunda tertij, (comment. 20. & ex text. Verbis,) idèd talis morbus etiam est violentus. Morbi enim qui non conueniunt ætati ac regioni, & naturæ sunt violentiores cæteris, vt dixit secunda Aphorismorum (capit. 8. 34.) & etiam ex his magis periclitantur. Idèd verò consequens est, vt fiant ob sanguinis multitudinem, cum iam dixerit de sanguinis profluuio è naribus in prioribus verbis: & vt plures fiunt ab Austris, ita etiam à Borea & violentissimus, cum non habuerit exitum: siquidem dicit in libro de Morbo sacro, (pag. 8.) quòd Boreas frigiditate sua comprimendo, expurgat cerebrum & sensus: in multo ergo sanguine & magno frigore regionibus, & præcipuè autumno ob inæqualitatem, & hyeme ob frigus fiunt comitiales morbi, qui certè attonitis sunt similes: & idèd in iuuentute eadem ratione qua profluuia sanguinis